

Caput XI. De Qualitate.

I. quid sit? R. Ποιότητα λέγω, καθ' ὃν ποιοῖ τινὲς εἶναι λέγονται. lib. Categ. cap. 8. QUALITATEM dico, secundum quam quales quidem esse dicuntur: ut albedo, ab eo enim homo dicitur albus. (Genus definiti est forma accidentalis: Hinc excluduntur formæ substantiales: ut anime, & differentię substantiarum, ut rationale. Dici quale est denominari concreto per quod aptè respondetur, quæstioni factæ per quale tantum: ut paries dicitur qualis ab albedine, quia si queratur, qualis sit paries, rectè respondetur esse albus.)

De QUALITATE III not.

II. Quotuplex sit? R. QUALITAS dividitur in quatuor species, quæ omnes duplici voce sub disjunctione exprimuntur.

- 1. vel { *Habitus*, qui est qualitas diu permanens & difficulter mobilis, qua promptum est ejus subjectum ad facile exercendas actiones. Huc pertinent omnes scientiæ, artes, virtutes, vitia.
- { *Dispositio*, quæ est qualitas facilè mobilis à subjecto & via ad Habitus, quâ difficulter adhuc quodammodo actiones ob- euntur.
- 2. vel { *Potentia naturalis*, quæ est qualitas, à natura ingenita, quâ sub- jectum aptum est ad aliquid agendum, resistendum, vel pa- tiendum. Huc pertinent omnes facultates animalium, plan- tarum, lapidum, &c.
- { *Impotentia naturalis*, quæ subjectum ineptum facit ad aliquid agendum, resistendum, vel patiendum.
- 3. vel { *Patibilis qualitas*, est diu permanens qualitas, quæ aut sensum movet aut ex motu aliquo nascitur. ut color natus, inbete- ratum odium: Huc pertinent propria objecta, sensuum; & affectus animi.
- { *Passio*, est fluxa quædam, aut brevi transiens qualitas, quæ aut movet sensum, aut ex motu oritur: ut pallor ex metu.
- 4. vel { *Forma*, est qualitas, quæ resultat ex terminatione quantitatis in re aliqua naturali speciata: ut forma hominis aut leonis, quæ ex lineamentis corporis nascitur.
- { *Figura*, quæ resultat ex terminatione quantitatis simpliciter ac in se spectata: ut figura trianguli.

III. Propri etates.

- 1. Ὑπάρχει ἐναντιότης καὶ τὸ ποιοῦν. Inest contrarietas in qualitate. Id est, Qualitas una est alteri contraria per se; ut albedo nigredini.
- 2. Ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον τὰ ποιά. Qualia recipiunt magis & minus. Id est: Concreta qualitatis prædicari possunt cum adverbis magis & minus: ut unum album dicitur magis album, quàm alterum.
- 3. Ὁμοία ἢ ἀνόμοια καὶ μόνως τὰς ποιότητας λέγεται. Similia aut dissimilia secundum solas qualitates dicuntur. Id est: Quæcunque dicuntur similia aut dissimilia, dicuntur talia ratione qualitatum suarum: ut duo parietes albi sunt similes ratione suarum albedinum.